



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

6. Vir uxorius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Publica privatis secernere, sacra profanis:
 Concubitu prohibere vago: dare jura maritis:
 Oppida moliri, leges incidere ligno.

Hic tanta vi dicendi fuisse dicitur, ut consternatos animos mortali-
 um, & ob aliquam presentem calamitatem in desperationem lapsos e-
 rexit, & in priorem statum reduxit, atque ad tranquillitatem revo-
 carit. Hic ipse placatis inferis, animi perturbationibus scilicet, Eury-
 dicen in lucem reducere conatus est, quæ, ut nomen ipsum significat,
 nihil aliud est, quam *justitia & æquitas*. Hac Comes Natalis & ego, in
 laudem Orphei.

VI. (f) Sunt tamen multa, quæ in eodem reprehendas. Nam
 etsi libenter ipsum contra Pausaniam, & alios, ab insimulatione magiæ &
 necromantiæ absolvimus; non potest tamen extra vituperium poni, quod
 nimium abripi se passus sit uxoris amore. Propter ipsam ad inferos us-
 que descendit, cuiusque desiderio tam impatienter arsit; ut in reditu,
 cum jamjam superas evassisset in auras, tantillum oculis imperare non po-
 tuerit, quin in Conjugem respiceret, & amando perderet, quod amando
 acquisivit. Poëta Mantuanus 4. Georg.

----- subita incautum dementia cepit amantem,
 Ignoscenda quidem, scirent si ignoscere manes;
 Restitit, Eurydicenque suam, jam luce sub ipsa
 Immemor, heu victus animi, respexit; ibi omnis
 Effusus labor: atque inmitis rupta tyranni.
 Fœdera.

Hoc ipsum non rarò viris contingit Sapientiâ præstantibus, ut au-
 diant *Vxorii*. De Orphei citharâ Martialis lib. 14.

Reddidit Eurydicen Vati, sed perdidit ipse,
 Dum sibi non credit, nec patienter amat.

Et Virgil.

Eurydice ex oculis subitò, ceu fumus in auras
 Commistus tenues, fugit diversa.

Non fuit par Orpheus ferendæ tantæ jacturæ ac dolori; diu, noctu-
 que lamentis se dedit, hominum consuetudinem fugit, in solitudinem se-
 cessit, ut mœstis naniis vacaret; ita quidem ut abscissum etiam Vatis ca-
 put Eurydicen suam ingeminaret. Maro loc. cit. Inter alia canit:

Tum quoque marmorea caput à cervice revulsum
 Gurgite cum medio portans Oeagrius Hebrus

Volue-

(f) *Vxorii viri.*

Volueret: Euridicen vox ipsa, & frigida lingua
 Ah miseram Eurydicen, anima fugiente vocabat:
 Eurydicen toto referebant flumine ripæ.

Imitantur Orpheum, quotquot plus æquò mulierosi, ægritudinem
 ex absentia vel obitu uxoris nimis molliter tolerant.

Stridonensis Doctor lib. 1. c. 10. contra Jovinianum ait, quantum-
 vis honesta sit amoris conjugalis origo; magnitudinem tamen eius esse
 deformem: & amatorem *Sue* flagrantiorum, à mœcho parùm distingui.
 In his fuit Antoninus Pius Imp. qui mortem *Anniæ Faustinae* suæ, quan-
 quam prostratæ pudicitia mulieris, adeò dolenter excepit, ut aliter luctum
 suum, nisi divinis ei decretis honoribus, ac staturis aureis erectis, conso-
 lari nequiverit: quò saltem in aris præsentem haberet, quam in thalamo
 jam non posset. *Historia Augustæ* in Anton. Pio. *Claudius* autem Cæ-
 sar, nec interfectæ quidem, jussu suo, conjugis *Messalinæ*, infamis libidi-
 nis feminae, deponere memoriam potuit: quin eiusdem adhuc diei vespe-
 rã, quã ceciderat illa, sciscitaretur ex astantibus & convivis; *Cur non ad
 cœnam & Domina venisset?* quæ tamen apud inferos jam vel maximè cœ-
 nabat, *Sueton.* in Claudio c. 39. In *historia S.* lib. 2. Reg. c. 3. *Legi-
 mus*, cum *Abner* Dux militiae, *Micholem* *Saulis* filiam, *Davidis* uxorem,
 iniquè alteri cuidam, nomine *Phaltieli* à *Saule* desponsatam, ad legitimum
 thorum reduceret, secutum fuisse *Phaltielem*, & per totam viam, usque
 ad oppidum *Bahurim* plorasse. Convenit in hos ploratores illud *Virgi-
 lianum*, *Æneid.* 9. à *Numano* quodam nomine, natione Latino, in *Tro-
 janos*, seu *Phryges* contortum.

Vobis picta croco, & fulgenti murice vestis:

Desidia cordi, juvat indulgere choreis.

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mÿtra.

O verè Phrygiæ (neque enim Phryges) ite per alta

Dindyma, ubi assuetis biforem dat tibia cantum.

Tympana vos, buxusque vocat Berecynthia matris

Idææ: finite arma viris, & cedite ferro.

VII. (g) Quanquam hoc ipsum poterat Orpheo ignosci, quem
 ardentissimus conjugis amor in tristitiam immodicam conjecit. Cum
 enim mulieres honoris sui studiosissimæ, conjugalis amoris exemplaria ja-
 ctent, *Arriam Pœti*, *Porciam Bruti*, *Juliam Pompeii*, *Artemisiam Mausoli*,
Alcestin Admeti &c. habent viri, quem ipsis opponant *Orpheum*, velut
Solem, minoribus astris.

(g) Amor conjugalis.

Nescio